

scopus, seu Presbyter a S. Pontifice delegatus, utitur ritu in Pontificali præscripto, et adhibet aquam quæ dicitur *Gregoriana*, mixtam scilicet vino, sale, et cinere, atque ab Episcopo benedictam.

*559. — IV° *Quid jure præscriptum sit de altaris consecratione?*

I. Duplex altare distinguitur: aliud *fixum*, quod immobiliter sua basi consistit; aliud *portatile*, quod potest de loco in locum moveri. Utrumque esse debet lapideum et quadrangulare, ut significantius repræsentetur Christus quem sacræ Scripturæ vocant *Petram anguli* qua innititur domus Dei. Adhibita etiam fuerunt olim altaria lignea et aurea; sed pluribus abhinc sæculis, invaluit disciplina non adhibendi aliam materiam præter lapidem ad construendum altare. Desinente sæculo IV, sanctus Gregorius Nyssenus, dicebat in oratione de sancto Christi baptismo: « Altare hoc sanctum cui assistimus, « lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis « lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, et pavimenta « exornantur. Sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit Mensa sancta, Altare « immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a « solis sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur. » In Galliis autem, anno 517, concilium Epaonense decretum tulit: « Altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur. » Cap. *Altaria*, 31, dist. 1, DE CONSECRATIONE.

II. Altare, seu fixum, seu portatile, necessario consecrari debet, juxta vetustissimam regulam a temporibus apostolicis ad nos transmissam, ut super illud sacrificium licite offeratur; nec in re certissima probanda immorabimur.

Consecratio fit a solo Episcopo, nisi S. Pontifex facultatem concesserit Presbytero eam peragendi; est quippe regula generalis benedictiones *reales*, quæ nimirum sacro chrismate perficiuntur, reservari Episcopis. Forma et ritus hujus consecrationis describuntur in Pontificali. Illud præ cæteris notandum,

nullum altare consecrari quin includantur sacræ reliquiæ; unde sacerdos, ascendens altare, Deum precatur *per merita sanctorum quorum reliquiæ hic sunt*. Oratoria ædificabantur olim supra tumulos Martyrum, quem morem Ecclesia retinere statuit, quoad poterat, reponendo reliquias sanctorum sub altari, quia summopere expedire judicavit, si sacrosanctum sacrificium offeratur Deo super reliquias corporum servorum Dei, qui omnem suam virtutem ex illo habuerunt.

Locus in quo sacræ reliquiæ reponuntur signatur sigillo Episcopi, ut certius constet de consecratione altaris, atque de reliquiarum authenticitate.

III. Altare fixum ita refertur ad Ecclesiam in qua constitutum est, ut si quacumque ex causa Ecclesia polluatur, ipsum etiam pollutum eo ipso censeatur; alia est ratio altaris portatilis quod suam, ut sic dicam, existentiam et consecrationem habet distinctam a consecratione loci ubi reponitur.

Altaria exsecrantur: 1° Si altare fixum disjungatur a sua basi, seu columnis quibus insistit. Cap. *Ad hæc*, 1, *Ligneis*, 6, DE CONSECRATIONE. Ratio est quod juxta ritus consecrationis, tabula, seu mensa, simul cum sua basi in loco juncturæ ungitur, et cum ea idem altare constituit; quapropter canones statuunt altare debere denuo consecrari *si amotum fuerit*. Non videtur consecrationem amitti, si cum stipite, seu columnis, absque ulla disjunctione transferatur in alium locum, intra tamen eandem Ecclesiam. 2° Si altare portatile enormiter frangatur, adeo ut pars integra quæ remansit, continere non valeat calicem cum patena et ciborium. Quin etiam scriptores in rebus liturgicis versatissimi existimant enormem esse fracturam, non solum si tabula fuerit in duas aut in plures partes notabiles divisa, sed etiam si divisa sit per fracturam, in aliqua ex partibus ubi peculiare unctiones adhibitæ fuerunt, candelæ accensæ, thus crematum. Nam, etiamsi, juxta obvium naturalem sensum, fractura non sit materialiter enormis, talis respective evadit, cum separatæ sint partes specialibus precibus,

formulis, et actionibus consecrata. « Verbo dicam, ait anno-
« tator collectionis Gardellianæ, exsecrata erit tabula, si pars
« fracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab Episcopo
« in altaris consecratione specialiter benedictis. » (In decisio-
nem n° 4577, die 3 mart. 1821 in causa Carpen.) 3° Quando
altaris sepulchrum, sive locus quo reliquiæ reconduntur, tolli-
tur, aut frangitur, adeo ut amotæ sint reliquiæ.

Controversum fuit inter auctores an inclusio reliquiarum, quæ
ex omnium consensu est præscripta, sit necessaria ad validam al-
taris consecrationem. Qui partem negativam sustinebant, debue-
runt concludere ex sua opinione non exsecrari altare fractione se-
pulchri, amotioneque reliquiarum; sed consuetudine, et deinde
variis rescriptis S. Congregationis Rituum, prævaluit opinio con-
traria¹. Persæpe responsum est a S. Congregatione altaria con-
secranda denuo fore, quando fractum sepulchrum, et amissæ reli-
quiæ fuerunt.

Hæc autem ut melius intelligantur, paucis resumere satis
erit varias declarationes datas a S. Congregatione. Declara-
vit 1° Altare cujus sepulchrum Episcopus aperuit, et reliquias
extraxit, ut de earum authenticitate certius sibi constet, non
exsecrari si Episcopus easdem reliquias, sufficienter recognitas,
recondit (die 14 mart. an. 1695, n° 3505). — 2° Altare in-
digere nova consecratione, si extractæ et amissæ sint reliquiæ,
etiamsi novæ et authenticæ in locum priorum substitutæ fue-
rint. Quandoque tamen in tali casu, Sancta Sedes concessit, ut,
absque nova consecratione, reliquiæ reponantur in sepulchro,
servatis tantummodo ritibus in Pontificali descriptis, scilicet ut
signetur sancto chrismate sepulchrum, recondantur reliquiæ
cum tribus granis thuris, ac tandem superponatur firmeturque
operculum, recitatis interim orationibus præfinitis. (N° 5162,
die 5 decemb. an. 1851, in causa Bituricensi). — 3° Altare

¹ Quarti, tit. xv, dub. v. — Collet, *Traité des SS. Mystères*, chap. viii,
n° 8. — Schmalzgrueber, in tit. xi, n° 45. — Collectio Gardelliana, n° 4559,
5990, 4997, 5037.

denuo consecrandum fore, si deleto episcopali sigillo, nullum
certum vestigium appareat reconditas fuisse et servatas easdem
reliquias in sepulchro, quia *non constaret de reliquiarum
identitate, et authenticitate* (die 23 maii an. 1846, n° 5037,
in causa Cadurcensi).

Si, ratione habita circumstantiarum, nullum est dubium pro-
babile de peracta consecratione, atque de identitate reliquiarum,
non est cur nova iterum fieret consecratio.

§ 5. — De sacra suppellectili Ecclesiarum.

560. — Sacra suppellex Ecclesiarum dicuntur omnia vasa
quæ ad cultum publicum inserviunt: vasa nempe sacra, cruces,
linteamina altaris, vestes sacerdotales, baptisterium, vascula
sancti chrismatis et sanctorum Oleorum, sedes confessionales,
cathedra, tabellæ pictæ quæ ædem sacram exornant, cam-
panæ quarum sonitu advocantur fideles ad preces, seu ad con-
ventus ecclesiasticos. De diversis partibus sacre suppellectilis
principia generalia juris paucis dicemus; plenior enim accu-
ratorque rerum explanatio ad disquisitiones liturgicas, potius
quam ad prælectiones canonicas, attinet.

I. Calices et patenæ esse debent ex auro, vel argento, vel
saltem ex stanno, si tanta sit penuria alicujus Ecclesiæ ut non
possit habere vasa argentea. Cap. *Ut calix*, 45, dist. 1, DE
CONSECRATIONE; Const. Innocentii IV, *Sub catholicæ*, an. 1254.
— Consecrari debent ab Episcopo qui harum benedictionum
munus, quatenus unctione sancti chrismatis perficiuntur,
nulli presbytero committere potest. Vetustissimum hunc mo-
rem ungenti calices sacro chrismate refert ad traditiones apos-
tolicas Innocentius III, cap. *Cum venisset*, 1, DE SACRA
UNCTIONE. — Calices et patenæ exsecrantur quando immutan-
tur, vel franguntur, adeo ut inservire amplius non possint
sancto sacrificio; puta si perforentur, vel si cuppa calicis a

pede cui fixa est, per fractionem divellatur, vel tandem si pars interior calicis aut cuppæ auro liniatur, prout responsum fuit a S. Congregatione, die 14 junii, an. 1845, in causa Leodiensi, n. 5011.

Quando calix fractus est, aut internam perdidit inaurationem, non potest in sacris conficiendis mysteriis adhiberi; cum enim formam amiserit in qua sacer evaserat precibus et ritibus ecclesiasticis, consecrationem non servat, quapropter tradi potest artifice ut reficiatur, aut fundatur. Si autem formam necessariam non amiserit, sed opportunum videatur illum ex majori decencia expoliri, et intus inaurari, adeundus est Episcopus, vel alter prælatus loci ordinarius, qui per modum dispensationis, permittat calicem artificebus tradi, non enim laicis fas est sacra vasa manu contrectare¹. Dispensatione opus non est, si pes duntaxat calicis expoliendus et inaurandus sit, et possit sejungi a cuppâ sine fractura.

II. Ciborium et pyxis destinata ad conservationem et expositionem sanctæ Eucharistiæ, non consecrantur unctione christi, sed simplici benedictione, quæ tamen reservatur Episcopo.

III. Lintea quæ propius inserviunt sacrificio, nimirum: mappæ altaris, corporalia, pallæ, purificatoria, non alia adhibenda sunt quam ex tela lineæ, aut cannabina. Cap. *Consulta*, 46, dist. 1 DE CONSEC., quod attribuitur Papæ Sylvestro, fert: « Consulta statuimus ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tineto, quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini Jesu Christi in sindone lineæ munda sepultum fuit. »

Cum abusus invaluisset contra has regulas, antiquitate et mysticis significationibus venerabiles, et in pluribus provinciis

¹ Cf. Annotationem collectoris decretorum S. C. Rituum ad decisionem diei 28 April. an. 1822, n° 1588.

conficerentur sacra indumenta ex tela quadam composita ex lino et gossypio subtilissimo, sacra Congregatio, approbante Pio VII, generale decretum edidit, die 15 maii an. 1819, quo statuitur « ab antiquo more, sub quolibet prætextu, colore, et titulo, non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac suppellectilia, non ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore, ac tenacitate linum aut cannabem æmulante et æquante. » Eadem Congregatio indulgentia usa est quoad amictus, albas, tobaleas, mappulas, si quæ tunc haberentur, ut liceret iis uti usquedum consumerentur, dummodo quando hæc renovanda forent, non nisi ex lino aut cannabe fierent; sed districtius jussit suum decretum statim, post mensem a promulgatione, ubique executioni mandari quoad corporalia, pallas, et purificatoria.

Altare cooperiendum est tribus mappis, superiori saltem oblonga quæ hinc inde usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel altera duplicata, dummodo lapidem altaris teganit. Pervetustum esse usum trium mapparum supponit caput *Si per negligentiam*, 27, dist. 2, DE CONSECRATIONE.

IV. Crux erigitur in omnibus Ecclesiis, aut saltem reponitur tabula in qua representatur imago Jesu Christi crucifixi. Cum Rubricæ requirant ut crux collocetur super altare et inter candelabra, dum offertur sacrum sacrificium, scriptores quæstionem instituerunt utrum Crux debeat constitui in altari, etiamsi imago Christi e cruce pendens in majori tabula depicta aut cælata appareat. « Gavantus id quidem probat, ait Benedictus XIV; alii vero id minime necessarium arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori tabula, vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimentur... Huic sententiæ se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione quam ipsa promulgavit, anno 1665. » (Litteræ Encyclicæ *Accepimus*, an. 1746.)

V. Sunt etiam regulæ quæ præfiniunt materiam, formam,

colorem, benedictionem vestium sacerdotalium adhibendarum ad sanctum sacrificium.

Usus communis Ecclesiæ non admittit planetas, stolas et manipula confecta ex tela linea, aut ex gossypio; nec etiam probatus fuit usus qui paucis abhinc annis invalescebat, adhibendi ad sanctum sacrificium peragendum vestes ex vitrea textura; sed aut ex serica, aut ex lanea confici debent.

Non item probantur paramenta diversi coloris, quæ indifferenter inserviant pro colore albo, rubro, viridi, violaceo, quatenus habent intextos flores diversi coloris, adeo ut vix dignoscatur quis sit color dominans. Declaratum etiam fuit non admitti in sacris ritibus colorem flaveum, nec cæruleum in iisdem paramentis sacerdotalibus¹.

VI. Consuetum est, ab antiquis temporibus, sacras aedes exornari imaginibus quæ Christum Dominum, beatam Virginem, sanctos, seu facta historica quæ ad religionem referantur, representent. Non est in præsentī locus vindicandi doctrinam et praxim constantem Ecclesiæ contra Iconoclastas veteres, seu recentiores, qui traditiones christianas in hoc impugnare præsumpserunt: sufficiat regulas canonicas de usu sacrarum imaginum memorare: 1° Nemini licet, in Ecclesia etiam quomodolibet exempta, « ullam insolitam imaginem ponere, vel « ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit. » (Conc. Trid., sess. xxv, Decret. *de Invocatione et Veneratione Sanctorum*.) Imagines quæ more consueto mysteria historiarum sanctorum exhibent, poni possunt quin fuerint prius approbatæ ab Episcopo, non autem inconsulto paroco, aliove loci titulari. 2° In choro non aliæ imagines teneri debent quam sancto-

¹ Quæ sit origo historica varietatis colorum quibus utitur Ecclesia in sacris vestibus explicant eruditi, simul et rationes mysticas diversorum colorum. Cf. Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. xxiv, § 1, edit. studio Roberti Sala. — Cum hæc paulatim usus induxerit, non mirum quod fuerit aliqua diversitas in praxi Ecclesiarum, quarum aliæ adhibebant, v. g. colorem rubrum, aut viridem in certis solemnitatibus, pro quibus aliæ utebantur colore albo.

rum. 3° Imagines servorum Dei, qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in Ecclesiis, nec in oratoriis publicis, antequam decretum de cultu ipsis exhibendo prodierit. Id saltem cavendum, si in quodam loco extra chororum apponantur, ne in tabula picta represententur cum radiis, aliisve sanctitatis signis, nec eo modo qui cultum ipsis exhibitum significet (n° 510).

*561. Notaminibus de sacra suppellectili Ecclesiarum finem dabimus, jura revocando de campanarum benedictione et usu.

Cum, pace Ecclesiæ reddita, christiani publicis signis convocarentur ad sacras aedes orationis causa, variis instrumentis uti sunt pro locorum more; frequenter adhibebatur tabula lignea quam pulsabant; alii malleo utebantur, alii tubæ sonitu, tandem habuere campanas. Quoniam autem tempore campanæ turribus Ecclesiarum fuerint impositæ, vel etiam a quo fuerint inventæ, cujusve auctoritate in usum Ecclesiæ introductæ, incompertum hactenus fuit.

Campanæ benedicendæ sunt antequam suo loco reponantur, quæ quidem benedictio, jure communi, reservatur Episcopo, eadem lege qua cæteræ omnes benedictiones quæ sacro chrismate perficiuntur. Idcirco ritus benedictionis campanarum describitur in Pontificali Romano, non in Rituali.

Pulsantur campanæ, non solum ad clerum populumque convocandum ad orationem, sed etiam ad excitandum sensus pietatis, et ad majorem festorum solemnitatem. Consuetudo etiam fuit, et hactenus in pluribus locis servatur, ut campanæ pulsarentur quando tempestatum procellæ ingruebant, spe removendi periculum imminens fulguris et grandinum. Patres, ex quibus has traditiones suscepimus, non existimabant campanarum sono aerem scindi, et tempestatum injurias naturali effectu depelli, sed opportunissimum ducebant populum fidelem excitari ad orationem, urgente tempestate, et confidebant in divina virtute, quæ precibus Ecclesiæ intra ritus benedictionis imploratur. Revera, repetitis deprecationibus Deum exorat Ecclesia ut

« ubicumque sonnerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus
 « insidantium, incursio turbinum, percussio fulminum, cæsis
 « tonitruum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procel-
 « larum. »

Campanæ benedictæ non debent inservire usibus profanis. S. Congregatio Rituum dubiis olim propositis responsum dedit, die 16 julii an. 1594 : « Non videntur posse benedici solemniter
 « ritu campanæ quæ solum deserviunt profanis usibus; nam,
 « ut, ex ipsa benedictione, quæ habetur in Pontificali, colligi
 « potest, campanæ benedicuntur *in usum tantum ecclesiasti-*
 « *cum*, ut cætera vasa sacra, et ideo inunguntur, variisque cæ-
 « remoniis consecrantur fere ad eum modum quo consecrantur
 « altaria. » Nihil tamen obstare videtur quominus primi pasto-
 res sinant campanas pulsari in casu periculi imminentis, puta
 incendii aut inundationis, ut populus admonitus provocetur ad
 ferendum auxilium; vel etiam occasione adventus principis, in
 signum honoris; siquidem adest, in hujusmodi rerum adjunctis,
 ratio aliqua virtutis, quæ ad finem supernaturalem quodam
 modo refertur. Si præter memoratos casus, magistratus tempo-
 rales locorum exoptulent facultatem utendi campanis in ali-
 quos usus civiles, parochi officium erit confugere ad Episcopum,
 ut quid sibi agendum, seu tolerandum edoceatur ¹.

¹ Anno 1840 auctoritas sæcularis in Galliis (*Conseil d'État*) regulas nonnullas præfinivit quas opportunum arbitramur referre, non quidem probando quæ in hac materia ordinantur inconsultis Episcopis, sed ut parochi ea noverint, et quoad fieri potest, præveant conflictus cum magistratu civili.

« Les membres du Conseil d'État... Considérant que la destination des
 « cloches a toujours été regardée comme essentiellement religieuse,
 « qu'elles ont été de tout temps consacrées par une bénédiction solennelle
 « qui marque leur affectation particulière au service du culte, que, les con-
 « ciles ayant défendu de les employer à des usages profanes, cette règle
 « a été suivie partout, sauf les exceptions dont la nécessité a été reconnue,
 « sont d'avis :

« 1° Que les cloches des églises sont spécialement affectées aux céré-
 « monies de la religion catholique, d'où il suit qu'on ne peut en exiger
 « l'emploi pour les célébrations concernant des personnes étrangères au

§ 4. — *De jure præminentie inter Ecclesias et de Basilicarum privilegiis.*

562. — 1° *Quæ sit ratio ordinem præminentie statuendi inter Ecclesias?*

Ecclesiæ distinguuntur ab invicem dignitate hierarchiæ; et in eodem gradu, præmentia inter illas componitur, ad juris communis normam, ratione habita antiquitatis et possessionis; quod necessarium fuit præfiniri, ut lites de præcedentia amoverentur, quando omnes, aut plures Ecclesiæ ejusdem civitatis aut etiam provinciæ, repræsentantur in suo respective clero, in actibus publicis, præsertim in processionibus.

1° Humiliori loco sunt Ecclesiæ fraternitatum et archicou-

« culte catholique, ni pour l'enterrement de celles à qui les prières de
 « l'Église auraient été refusées, en vertu des règles canoniques;

« 2° Que le curé ou desservant doit avoir seul la clef du clocher,
 « comme il a celle de l'église, et que le maire n'a pas le droit d'avoir
 « une seconde clef;

« 3° Que les usages existant dans les diverses localités relativement au
 « son des cloches, s'ils ne présentent pas de graves inconvénients, et s'ils
 « sont fondés sur de vrais besoins, doivent être respectés et maintenus;
 « 4° Qu'à cet égard, le maire doit se concerter avec le curé; que les
 « difficultés qui pourraient s'élever entre eux doivent être soumises à l'é-
 « vêque et au préfet, lesquels s'entendront pour les résoudre;

« 5° Que dans ces cas il paraîtrait juste que la commune contribuât au
 « paiement du sonneur en proportion des sonneries affectées à ses be-
 « soins communaux; mais que le sonneur doit être nommé et ne peut être
 « révoqué que par le curé dans les communes rurales, et par les marguil-
 « liers, sur la proposition du curé, dans les communes urbaines;

« 6° Que tout acte passé contrairement à ces dispositions ne saurait
 « être maintenu;

« 7° Que dans les cas de péril commun qui exige un prompt secours,
 « ou dans les circonstances pour lesquelles les dispositions des lois ou des
 « règlements ordonnent les sonneries, le curé doit obtempérer aux règle-
 « ments du maire et qu'en cas de refus, le maire peut faire sonner les
 « cloches de son autorité propre. » (*Le Droit civil ecclésiastique français
 ancien et moderne*, par M. de Champeaux, tom. II, 20 fév. 1840.)

fraternitatum. 2° Deinde veniunt Ecclesiæ regularium, ordine quem alibi explicavimus (n° 437). 3° Ecclesiæ parochiales, inter quas etiam attenditur ad dignitatem et ad antiquitatem tituli, non vero ad numerum incolarum, nec ad dignitatem personalem parochorum. Ecclesiæ succursales antecedunt, et ex parochialibus titularibus, illæ locum cedunt quæ fuerunt recentius in titulum erectæ. 4° Ecclesiæ collegiatæ, quarum aliæ sunt insignes, aliæ non sunt. 5° Ecclesia cathedralis quæ cæteris omnibus Ecclesiis diœcesis sua dignitate, tanquam illarum mater, præeminet. 6° Ecclesiæ metropolitana, primatiales et patriarchales. 7° Ultimo loco, eoque digniori, veniunt Basilicæ quæ et ipsæ in duas classes distribuuntur, scilicet in majores et minores.

Ecclesiæ majores, seu insigniores magnitudine, antiquitate, structura, *Basilicæ* indiscriminatim dicebantur, mutuato nomine ab ædibus regalibus; quod nomen pauca retinuerunt ob suam celebritatem, vel acceperunt a SS. Pontificibus. Quatuor sunt Romæ Basilicæ majores in memoriam quatuor primarum Ecclesiarum patriarchalium: Lateranensis, quæ Sedem Romanam, in qua Pontifex instituitur, præsignat; Vaticana, quæ Sedem Constantinopolitanam repræsentat; sancti Pauli in via Ostiensi, quæ Alexandrinam; Liberiana, seu Sanctæ Mariæ Majoris, quæ Antiochenam designat. Sunt plures, tum Romæ, tum in variis per orbem regionibus, Basilicæ minores, quas scilicet S. Pontifex hoc titulo honestari voluit.

563. — II° *Quæ sint privilegia Basilicarum minorum?*

« Quibus honoribus, quibusve prærogativis honestatæ sint « Basilicæ, sive majores, sive minores, incertum sane est, ait « annotator collectionis Gardellianæ, et quod sciam, et quod « legerim apud liturgicos, nullus fortasse inter scriptores reperitur qui de hoc fusc saltem appositeque pertractet. » (In decisionem, n° 4781, datam die 27 august. an. 1836, canonicis Ecclesiæ Lucerinæ.)

Quando SS. Pontifices volunt aliquam Ecclesiam titulo Ba-

silicæ honestare, declarant ac decernunt eandem Ecclesiam auctoritate apostolica erigi in Basilicam minorem *cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, præeminentiis, exemptionibus et indultis quibus aliæ Ecclesiæ minores utuntur, fruuntur et gaudent*. Cum igitur prærogativæ concedantur, et ea privilegia concedi dicantur quibus Basilicæ aliæ gaudent, videndum quæ communiter sint attributa Basilicis. Porro, hæc sunt privilegia magis communia: 1° usus conopæi (*pavillon*) et tintinnabuli quod conopæum præcedit in propria Ecclesia, et in processionibus toti clero communibus; 2° in vestibus choralibus, cappa magna pellibus armellinis ornata in parte anteriore per hyemem, et cotta super rochetum, cum cappa deponitur per æstivum tempus. Ex illis privilegiis alia memorat, alia vero subindicat Pius VII Const. *In supremo*, an. 1805, in gratiam Ecclesiæ cathedralis Parisiensis. « Metropolitanam Parisiensem in Ecclesiam Basilicam minorem ad instar basilicarum minorum urbis nostræ... erigimus, eidemque Ecclesiæ « ac canonicis conopæum cum tintinnabulo, ad instar earundem Basilicarum urbis nostræ in processionibus præferre, « necnon omnibus aliis prærogativis, privilegiis, juribus, honoribus..., quibus aliæ Basilicæ, eorumque canonici, de jure, « usu, consuetudine... hactenus gavisii sunt, pari modo uti... « concedimus et impertimur. » Declaratio data canonicis Ecclesiæ Lucerinæ, de qua modo, nostram assertionem confirmat; siquidem hac declaratione S. Congregatio significat, nomine privilegiorum, præeminentiarum, indultorum, cæterorumque similium, quæ continentur in litteris apostolicis in forma brevis expeditis in favorem alicujus Ecclesiæ ad gradum Basilicæ minoris elevatae, « venire conopæum, omni tamen auri et « argenti ornatu ab eo excluso, tintinnabulum et usum cappæ « magnæ. »

Ecclesia quam Sancta Sedes ad gradum Basilicæ erigit, non fruitur privilegiis huic titulo annexis, nisi fuerit consecrata.

§ 5. De immunitate Ecclesiarum.

564. — 1^o *Quæ sint immunitates Ecclesiarum?*

Immunitates Ecclesiarum duo complectuntur: 1^o prohibitionem ne quidam actus exerçantur in loco sacro; 2^o jus asyli, in favorem eorum qui ad Ecclesias confugiunt.

I. Jus canonicum prohibuit ne Ecclesiæ inserviant usibus profanis, quales sunt judicia civilia, nundinæ et negotiationes, convivia, ludi theatrales, et alia id genus. « Cessent in locis illis universitatum et societatum quarumlibet concilia, conciones et publica parlamenta... Cessent negotiationes et præcipue nundinarum ac fori cujuscumque tumultus; omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat; nulla inibi causa per laicos, criminalis maxime, agitur; sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. » Cap. *Decet*, 2, DE IMMUNITATE ECCLESiarum, lib. III, in VI^o.

Judicia fori ecclesiastici haberi possunt in locis sacris, juxta praxim præteritorum temporum; sed jure canonico interdicitur ne quid hujusmodi præsumant judices sæculares, maxime in causis criminalibus.

Conventus civium, ubi pertractantur negotia profana et politica, ab iisdem locis penitus excluduntur; quapropter parochi impedire debent, v. g., electiones populares ibi fieri. Si urgere videatur aliqua in contrarium gravis necessitas, recurrendum erit ad Episcopum.

Nundinas, negotiationes publicas, mercatus, illicite haberi in Ecclesiis omnes fatentur; sed plerumque tolerandum autumant si mercatores vendant prope januas, sub atriis templi, absque verborum strepitu et contentione pretii, libros, coronas deprecatorias, numismata, pias imagines, candelas, aliaque pietati fidelium inservientia, quia id habet universalis fere locorum consuetudo, et aliunde cessat ratio prohibitionis, quæ est ne perturbentur divina officia. Concilium provinciæ Parisiensis

(an. 1848) « prohibuit ne intra templum ipsum vendantur « imagines, libri, coronæ deprecatoriæ, et alia hujusmodi. » Tit. II, cap. IV. De ludis theatricis nihil dicendum; alienum est a moribus nostris ut in Ecclesiis agantur.

Præter actus vetitos, ob reverentiam locis sacris debitam, vitari insuper debent servitutes reales. Pastores invigilare debent ne proprietarii domorum vicinarum habeant prospectum intra Ecclesiam, vel portam sibi propriam qua immediate, pro arbitrio, e domo in Ecclesiam veniant, aut sibi vindicent medietatem murorum (*la mitoyenneté*), quod ipsa lex civilis et jurisprudentia tribunalium in Galliis prohibuerunt; Ecclesiis enim applicantur regulæ generales constitutæ in favorem omnium ædificiorum publicorum. (*Journal des fabriques*, tom. II, pag. 206.)

II. Jus asyli, quod alteram partem immunitatis designat, ortum est a sensu religionis quo incitantur infelices homines ut sese recipiant in Dei tutelam, adeundo ad loca sacra, ubi sperant habere perfugium.

Cum apud ipsos infideles, fana idolorum fuerint asyllum apertum reis, principes ad fidem christianam conversi noluerunt minores prærogativas Ecclesiis attribui; quamobrem leges plurimæ ea de re insertæ sunt in jure Romano, a quo deinceps in capitularia regum Francorum, et in codicem aliarum gentium transierunt.

Ecclesiæ donatæ non sunt jure asyli ut debitores exonerentur ab obligatione sua debita solvendi, utve scelesti homines impuniti manerent, sed maxime ut pateret refugium injuste persecutis, atque ut ipsi nocentes tutarentur a violentia se prosequentium, donec judices causam, servato ordine legitimo, discuterent. Eodem jure persæpe usi sunt clerici ad implorandam indulgentiam judicum, et temperandam severitatem pœnarum. « Dans l'enfance de la société, ait auctor operis « *Pouvoir du Pape au moyen âge*, et généralement chez tous « les peuples peu avancés dans la civilisation, rien n'est plus

« avantageux que le droit d'asile pour suppléer au défaut des
« lois et du gouvernement, pour arrêter la violence des parti-
« culiers qui s'imaginent avoir le droit de se faire justice par
« eux-mêmes; enfin, pour prévenir et modérer les premiers
« mouvements d'une vengeance souvent injuste et toujours dan-
« gereuse. » (*Introduction*, n° 97.)

Hæc sapientissime prospexit Ecclesia : illam tamen simul
urgebat ratio præstantioris ordinis, reverentia nempe Deo
debita ad quem reus confugerat. Eam ob causam opportunum
duxit reum confugientem recipere; vetare ne quamdiu in
loco asyli commoraretur, vinculis ligaretur, ne invitus exinde
traheretur; tandem Ecclesia postulavit ut, si judicandus
foret, magistratus ei remitteret pœnam corporalem. Innocen-
tius III statuerat : « Si liber quantumcumque gravia male-
« ficia perpetraverit, non est violenter extrahendus ab Ecclesia;
« nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, sed recto-
« res Ecclesiarum ipsi obtinere debent membra et vitam. »
Cap. *Inter alia*, 6, tit. XLIX, lib. III Decret.

Casus tamen plures excepti sunt a beneficio immunitatis, ne
privilegio abuterentur malefactores. SS. Pontifices multas
successive restrictiones apposuerunt decursu temporum. Re-
pulerunt ab immunitate homicidas, simulque omnes homi-
cidio cooperantes, latrones publicos, viarum grassatores, reos
læsæ majestatis in proprium principem, impediens ne aliquis
se recipiat in locum immunem, falsificantes litteras apostolicas,
adulterantes monetas publicas aureas et argenteas, et scienter
utentes monetas adulteratis, etc... In his casibus jure præfi-
nitis, curia ecclesiastica debuit tradere reos curiæ sæculari; at
ex Const. Benedicti XIII *Ex quo divina*, an. 1720, « omnimoda
« cognitio atque judicium de criminibus exceptis (an scilicet
« crimen reo imputatum, sit e numero eorum quæ jus canoni-
« cum ab immunitatis beneficio exceperat), ad Episcopos tan-
« tum, privative quoad omnes alios, spectare debet¹. »

¹ Cf. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. I, sect. DCXXXV. — Schmalz-

A temporibus quibus recentiores constitutiones pontificiæ
super jure asyli prodierunt, intra strictiores limites moderatum
est¹; tandem in plerisque gentibus sensim evanuit.

565. — II° *Quonam jure inducta sit Ecclesiarum immu-
nitas?*

Omnia jura suo modo concurrerunt ad constabiliendam dis-
ciplinam immunitatis Ecclesiarum. Jus naturale et divinum
quod reverentiam locis Deo sacris exhiberi præcipit; jus eccle-
siasticum, quod determinavit in specie ea quæ evitari oportet
ut servetur reverentia Deo debita; jus civile principum, qui sua
auctoritate disciplinam canonicam sancire studuerunt. « Dicen-
« dum, ait Schmalzgrueber, immunitatem hanc constitutam
« ordinatione Dei, imo jure naturali originaliter, quatenus
« naturale et divinum jus dictat Ecclesias... tanquam res Deo
« specialiter consecratas a sæculari potestate eximendas; hu-
« mano autem perfective, quatenus hoc privilegium immediate
« a Papa et imperatoribus constitutum est. » N° 58. Idem
tamen canonista alibi addit : « Hæc materia (asyli) est eccle-
« siastica, in qua jus civile jurisdictionem non habet, nisi ad
« fovendam dispositionem juris canonici. » N° 105.

Est igitur immunitas jure divino fundata, quatenus scilicet
prohibentur omnes actus sanctitatem loci dedecentes. Auctoritas
spiritualis jus certum habet erigendi sacras ædes ad divinum
cultum peragendum; et illarum sanctitatem tuendi cum erectæ
ac dicatæ fuerint, declarando quid religio requirat, vetando ne
quid in Ecclesia tractetur quo violaretur reverentia rebus sacris
exhibenda, ne scilicet profanis negotiis inserviant.

grueber, in tit. XLIX, lib. III Decretalium. — In Galliis ad nihilum fere re-
ductum est jus asyli Edicto Francisci I, an. 1559: *Il n'y aura lieu d'im-
munité pour dettes, ni autres matières civiles, et se pourront toutes
personnes prendre en franchise (sauf à les réintégrer) quand il y aura
prise de corps décernée à l'encontre d'eux.*

¹ Const. Gregorii XIV, *Cum alias*, an. 1591; — Benedicti XIII, *Ex quo
divina*; Benedicti XIV, *Officio nostri*, 1750. Has constitutiones refert ex
integro Ferraris v° *Immunitas Ecclesiastica*, art. II.

Quod vero ad disciplinam asyli attinet, utriusque ordinis spiritualis et temporalis interest simul, et videtur reponenda inter res mixtas. Potestati quidem spirituali cura et jus incumbit tuendi sanctitatem templi, ne profanetur; negari non potest quin etiam magistratui sæculari incumbat cura et officium providendi ne malefactores abutantur beneficio asyli, in detrimentum aliorum et perniciem ipsius societatis. Quid, si tempore perturbationum politicarum, conjuratores in templo convenirent ad moliendum insidias et bella contra rempublicam?... Cum itaque ad utramque auctoritatem, sub diverso respectu, hæc materia spectet, mutuo consensu componitur. Inito concordato, princeps sæcularis non debet a conditionibus stipulatis, pro arbitrio, recedere; lege enim naturali, et jure gentium, pacta observari jubetur.

Non assentimur canonistis qui disciplinam asyli referunt inter negotia quæ ab arbitrio principum solummodo pendent; sunt quippe, ex modo dictis, immunitates locales sub certo respectu juris etiam Pontificii, nec proinde illis aliter derogari debuit quam inito consilio cum Apostolica Sede. Animadvertendum tamen quod licet principes non potuerint propria sponte revocare privilegia Ecclesiarum, illorum edicta occasionem dederunt novæ ordinationi rerum, quæ labentibus annis, et tacite assentiente Sancta Apostolica Sede, consuetudinem invexit. « Hoc « habent, ait Schmalzgrueber, omnes leges quæ non jure naturali, aut divino positivo, sed humano solum Ecclesiæ vel civili « sunt inductæ, ut tolli per consuetudinem legitime præscriptam « possint, quare igitur non etiam lex concedens hanc immunitatem? » (Loco citato, n° 100.)

ARTICULUS II. — DE CÆMETERIIS.

566. — Cæmeteria (græce κοιμητήριον, a verbo κοιμάω, dormio) sunt loca destinata sepulturis; apud christianos autem sunt sacris ritibus sanctificata.

Jure veteri Romanorum, et principum etiam christianorum edictis, olim cautum erat ne sepulchrum mortuis concederetur intra civitates, quod impedimentum fuit per aliquod tempus ne christiani sepelirentur in templis urbanis. Plures tamen, lege non obstante, suam sepulturam in Ecclesiis, nedum extra urbes sed in ipsis urbibus, elegerunt, sperantes nimirum sibi propitium fore Sanctorum patrocinium, si prope illorum tumulos componerentur, suaque ossa ossibus venerandis Martyrum quædamtenus copularentur, quæ praxis paulatim in moribus fidelium prævaluit. « Ideo, aiebat sanctus Maximus Taurinensis, « a majoribus provisum est ut Sanctorum ossibus nostra corpora « sociemus, ut dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum « caligo defugiat. Cum sanctis Martyribus quiescentes, evadimus « inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen consocii « sanctitate. » (Sermo 55.) Sanctus ipse Ambrosius sibi sepulchrum in basilica Mediolanensi sub altari destinaverat, ubi deinde sanctorum Gervasii et Protasii corpora locavit. « Hunc « ego, inquit, locum mihi prædestinaveram, dignum est enim « ut ibi requiescat sacerdos ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris « victimis dexteram portionem. » Plura sunt ejusdem traditionis monumenta quam memorare voluimus, ut videatur praxim subsequentium sæculorum, et morem quem hactenus, quoad fieri potest, nostris Antistitibus gerimus, eorum corpora in cryptis Ecclesiæ componendo, sua initia in primæva ætate habuisse. Devenimus ad quæstiones canonicas de cæmeterio et de sepulturis.

567. — I° *Utrum cæmeteria benedici debeant, quibus actibus polluantur, et quid jure præscribatur si polluta sint?*

I. Cæmeterium, ut corporibus fidelium humanis deserviat, prius in locum religiosum ab Episcopo, aut presbytero quem Episcopus deputaverit, ritu solemniter sanctificandum est. Ita præscribunt omnia ritualia, maxime Rituale Romanum, ad normam juris veteris quod constanti traditione observatum est, ex quo ipsæ Ecclesiæ benedici et consecrari cœperunt.